

et quæstion. VII de malo, art. I ad quartum, et ubicumque de hac retractat. Tertiam sententiam docet Curiel hic quæst. I, art. V, dubio unico, §. VI. Et eandem ultimate sequitur Martinez II tomo in 1-2, quæst. LXXXVIII, art. I, dub. IV, circa finem. Quartam sententiam defendit Ægidius a Præsentatione lib. II de fine ultimo, quæst. V, art. IV, §. IV, explicatque uberius Montesinos hic disput. II, quæst. III, §. III, et alii, quibus placet ista solutio de fine peccantis venialiter, quod habeat creaturam pro fine ultimo negative, id est, ipsum objectum proximum, ubi sistit.

XLII. Dicendum nihilominus est, quod ex mente D. Thomæ tres propositiones sunt in hac parte tenendæ. Prima est negativa: Peccans venialiter non constituit finem ultimum in creatura, neque fruitur illa vera et propria fruitione. Secunda est affirmativa: Peccatum veniale ex genere, scilicet ex levitate objecti, tendit et amat positive creaturam, ut finem proximum. Excedit autem seu inordinatur ille amor, quia non refert actu in finem ultimum verum, sed quoad hoc negative, se habet in constituendo finem ultimum, non tamen opponitur ipsi fini ultimo vero, excludendo illum, etiam habitualiter a subjecto. Tertia: Peccatum veniale per accidens, scilicet ex solo defectu deliberationis ut subiti motus infidelitatis, vel adulterii, etc. habent finem ultimum imperfecte, et materialiter ex parte materiæ; sed non ex parte operantis, et elicentis actum: et sic simpliciter non ponunt finem ultimum in creatura libere, et humano modo.

XLIII. Prima propositio est contra sententiam Vasquez, sed habetur expresse in D. Thoma. Nam infra q. LXXXIX, art. I ad tertium, inquit: « Quod in peccato veniali non adhæret homo creaturæ, tamquam

fini ultimo. » Et in quæstione antecedenti LXXXVIII, art. I ad tertium inquit: « Quod qui peccat venialiter inhæret bono temporali, non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens, referens in Deum habitu non actu. » Item in I, dist. I, quæst. III, articulo unico ad quartum dicit: « Quod quamvis qui peccat venialiter non referat actu in Deum suam operationem, nihilominus tamen Deum pro fine habitualiter habet, unde non ponit creaturam finem ultimum, cum diligat eam citra Deum. » Et quæst. VII de malo, articulo I ad tertium dicit: « Quod finis habet rationem termini, non autem id quod est ad finem: veniale autem non convertitur ad bonum commutabile ut ad finem; et ideo non convertitur ad ipsum ut ad alium terminum a Deo. » Et subdit solutione ad quartum: « Quod ille qui peccat venialiter, non fruitur creatura, sed utitur ea. Refert enim eam habitu in Deum, licet non actu. »

XLIV. Nec valet respondere, quod loquitur D. Thomas de fruitione perfecta, quando eam negat in peccato veniali; non de imperfecta, et secundum quid: est autem fruitio perfecta: quando ita fruitur aliquis uno fine, quod excludit oppositum. Et hoc solum negat S. Thomas. Cæterum doctor sanctus aperte negat creaturam non frui a peccante venialiter, quia in ea non constituit finem, ut patet q. LXXXVIII, citato articulo primo ad tertium. Et loco citato quæst. VII de malo dicit: « Quod peccatum veniale non est ad bonum commutabile, ut ad finem. » Et sic negat, quod fruatur creatura, sed quod utatur. Ergo manifeste excludit omnem rationem fruitionis, sive perfectæ, sive imperfectæ, et secundum quid, si veram et quidditivam rationem fruitionis habet, quæ essentialiter versatur circa finem:

negat autem D. Thomas peccatum veniale circa finem versari: ergo negat ei formalem, et quidditivum conceptum fruitionis. Quod si dicatur fruitionem illam imperfectam, et secundum quid non esse vere, et in re fruitionem, licet sic appellatur, absoluta est quæstio. Ut quid enim appellatur nomine fruitionis, si fruitio non est? Nos autem de nominibus non contendimus sed de re ipsa; pari enim ratione in re, et secundum veritatem, veniale peccatum non habebit finem ultimum in creatura.

XLV. Et fundamentum hujus est: Quia vel peccatum veniale ponit finem ultimum in creatura simpliciter, et totaliter, vel non, sed solum finem proximum, et particularem, licet negative se habeat ad alium ulteriorem finem. Primo modo repugnat converti ad creaturam, ut ad finem ultimum simpliciter, et non averti a fine increato, aut habebit duos ultimos fines simpliciter, et perfecte, seu adæquate. Et primum repugnat fidei; quia sic peccans venialiter amitteret gratiam, et esset peccatum mortale. Secundum repugnat theologiæ et philosophiæ; ob rationes supra adductas ex D. Thoma, quod non possunt dari plures ultimi fines simpliciter. Secundo modo non solvit quæstionem illa sententia, quia in hoc est tota difficultas, quomodo possit dari finis aliquis proximus, et particularis sine subordinatione ad ultimum et universalem; sicut non potest dari causa secunda sine prima; particularis sine universali. Hæc ergo difficultas non solvitur, aut debet illa prima sententia incidere in alias.

XLVI. Nec potest occurri dicendo non esse inconveniens, quod homo habeat duos ultimos fines, licet non adæquate, seu ex æquo, sed unum habitualiter, et permanentem, alium transeunter: vel unum virtualiter

et interpretative, alium formaliter; vel unum imperfecte, et secundum quid, alium perfecte, et simpliciter: quod alii explicant unum esse ultimum positive, alium negative: aut tandem unum esse finem operis tantum, scilicet creaturam in peccante venialiter; alium esse finem operantis, scilicet Deum ad quem manet habitualiter conversus. Omnes istæ solutiones, vel incidunt in inconveniens positum, quod habeat aliquis simul duos ultimos fines simpliciter, ut duæ primæ solutiones: nam quod aliquis transeunter habeat unum ultimum finem, non tollit quod vere sit ultimus, et ut talis influat, præterquam quod multi etiam habitualiter, et permanentem sunt in peccato veniali. Quod vero virtualiter tendat in finem ultimum, non tollit, sed supponit quod prius illum expresse, et formaliter voluerit; inde enim manet postea virtualiter relatus in talem finem. Quod vero detur conversio ad finem ultimum imperfecte negative, aut secundum quid, est incidere in alias sententias, de quibus mox agemus, non vero simpliciter defendere, quod creatura sit finis ultimus peccati venialis, sed quod sit finis proximus cum denegatione ulterioris finis; seu quod sit finis operis, non operantis; totum hoc enim pertinet ad finem ultimum secundum quid. Et tunc restabit solum solvenda difficultas illa, quomodo detur causa particularis, seu finis particularis aut proximus sine dependentia, et influxu, aut subordinatione a fine ultimo, qui sit ultimus simpliciter? De quo statim dicemus.

XLVII. Secunda propositio D. Thomæ manifesta est apud ipsum tum in loco citato ex primo sententiarum, dist. I, quæst. III, aut unico ad quartum. « Non ponit, inquit, qui transeunter: vel unum virtualiter

ultimum, cum diligit eam citra Deum, sed ex hoc peccat quia excedit in dilectione : sicut ille, qui nimis immoratur viæ, non tamen exit a via. » Amat ergo (secundum D. Thomam) qui peccat venialiter, finem proximum operis, non tamen refert in finem ultimum verum, neque alium finem ultimum sibi constituit, sed manet inordinate in amore medii, seu finis proximi. Et hoc solum est habitu referri illud peccatum veniale in Deum, id est, negative se habere in referendo ad Deum, nec tamen ponere in alia re finem ultimum, per quod etiam habitu avertatur a Deo. Quod luculenter et aperte explicavit s. doctor in II, dist. XLII, quæst. I, art. III ad quintum, ubi sic inquit : « Averti a fine incommutabili stat dupliciter, vel in habitu, vel in actu tantum. Secundum habitum avertitur, qui sibi alium finem contrarium ponit, et hoc est in peccato mortali. Unde qui peccat mortaliter, est sicut recedens a via. In actu vero tantum aliquis avertitur, quando aliquis actum aliquem facit, quo in Deum non tendit, ex eo quod inordinate ei, quod est ad finem inhæret ; non tamen ita, quod illud quod est ad finem, quasi finem constituat ; et hoc est in peccato veniali. Unde peccans venialiter similatur ei, qui nimis moratur in via, et hoc non est averti, nisi secundum quid. » Ecce quomodo explicat D. Thomas, quomodo dicatur homo converti per peccatum veniale in habitu ad Deum, et non in actu, scilicet quia facit actum, quem refert in Deum, seu quo in Deum non tendit ; non quidem ex eo quod alteri fini inhæreat ; sed quia inordinate inhæret ei, quod est ad finem, id est, ipsi medio, seu fini proximo. Refertur autem habitu in Deum, quia hoc ipso quod non inhæret fini contrario, non tollit habitum, quo ordina-

tur ad finem, qui est Deus, et ita non operatur quis ex fine ordinante ipsum operantem, et omnia ejus ad se, sed relinquit ipsum habitualiter ordinatum ad Deum, licet in isto actu ad ipsum non ordinetur, neque actualiter, neque virtualiter : quia ut idem S. Thomas docet in eodem secundo sententiarum, dist. XXXVIII, quæst. I, art. I ad quartum, non sufficit ad hoc, quod Deus, vel charitas sit finis alicujus actionis, quod aliquis in habitu tantum Deum, et charitatem habeat, quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est. Itaque habitualis ordo in Deum, non est actualis ordinatio peccati venialis in finem, sed ex vi talis habitualis ordinationis, Deus ut finis non influit de facto, neque subordinat sibi actum peccati venialis, licet subjectum operans non maneat ab illo deordinatum.

XLVII. Ex hac autem propositione, adjuncta prima, manifeste deducitur mentem S. Thomæ in eo perpetuo esse, ut per peccatum veniale (quod ex objecto veniale est, non quod ex defectu deliberationis) homo attingat finem proximum, seu id quod ex parte mediorum se tenet, non attingendo finem ultimum verum, sed relinquendo illum, neque etiam ponendo finem ultimum in creatura : quia veniale peccatum non convertitur ad commutabile bonum, ut ad finem (ut dicit in quæstione VII de malo, art. I ad tertium), neque adhæret creaturæ, ut fini ultimo (sicut dicit 1-2, quæst. LXXXIX, art. I ad tertium). Et tamen inordinate diligit creaturam citra Deum, eamque non refert actu in Deum (ut dicit locis nuper allegatis ex primo, et secundo sententiarum). Et ideo simpliciter peccatum veniale est inordinatio circa ea, quæ sunt ad finem servato debito ordine ad finem (ut dicit citata quæstione LXXXIX,

art. III, et loco citato ex secundo sententiarum, dist. XLII, art. III ad quintum). Et ita oportet secundum sententiam S. Thomæ utrumque dicere ; et quod peccatum veniale versatur circa id, quod est ad finem ; et quod non supponit voluntatem, seu intentionem inhærentem creaturæ, ut fini ultimo, neque tollit a subjecto ordinem, quem habitualiter habet operans ipse ad finem ultimum, ad quem est conversus. Et sic peccatum veniale positive, et formaliter versatur circa id, quod est in finem, sive sit finis proximus, et immediatus, sive sit medium aliquod, fini ultimo subordinatum : ad finem autem ultimum negative se habet, sive sit finis ultimus verus, qualis est Deus, quia ad illum non refertur ; sive sit bonum commutabile, et finis ultimus apparens.

XLVIII. Et ratio sumitur ex dictis, quia nec peccatum veniale per se petit oriri ex subordinatione ad finem ultimum creatum ; sic enim essentialiter, et per se supponeret operantem esse conversum ad peccatum mortale ; quia haberet pro fine ultimo bonum creatum et ex illius influxu moveretur ad tale opus. Nec peccatum veniale ordinatur, aut referibile est ad finem ultimum increatum, cum displiceat illi, nec sit participatum a bonitate ejus ; ergo nec illi, ut fini, subordinatum. Similiter neque de facto peccatum veniale subordinatur ex intentione operantis fini ultimo creato, aut increato ; quia increato subordinari non potest, cum in ipsum referibile non sit : neque fini ultimo creato ; quia datur sæpe peccatum veniale, sine hoc quod præcedat intentio aliqua circa finem ultimum creatum ; ut in homine justo, qui ad peccatum non est conversus, ut ad finem ultimum. Et casu quo aliquis in peccato existens, velit ex intentione illius finis

ultimi creati, peccatum veniale committere, tunc jam non peccabit solum venialiter, sed mortaliter, ob relationem illius venialis in finem ultimum malum ; ut si quis dicat verbum otiosum, propter adulterium. Ex quo ulterius fit, quod neque peccatum veniale natura sua ordinatur ad finem ultimum creatum, ex parte operis, licet ex parte operantis non ordinetur : sicut e converso, qui est in peccato mortali, et facit opus bonum, verbi gratia, eleemosynam, ille actus refertur in Deum ex parte operis, quia natura sua Deum petit habere ut finem ultimum, licet ex parte operantis, Deum pro fine ultimo non habeat, quia est in peccato mortali. Non sic est in peccato veniali : nec enim opus illud ex natura sua tendit in finem ultimum malum, quia potius venialiter peccans, vult ex vi talis peccati non averti a Deo fine ultimo : ergo etiam vult non habere creaturam pro fine ultimo, quod in opere bono facto a peccatore non currit, quia in tali opere non vult operans averti a Deo, sed vult illud opus juxta naturam suam, et sic in illo habet Deum pro fine operis, licet non plene convertatur ad ipsum, etiam ex parte operantis, quia non vult in omnibus subjici ipsi. Unde si illud bonum opus faceret ex plena, et totali conversione ipsius operantis ad Deum, non destrueretur tale opus in ratione, et esse virtutis, sed potius perficeretur. At vero peccans venialiter, etiam pro ipso opere non vult habere creaturam pro fine ultimo, neque averti a Deo, quantum est ex vi operis, et non solum ex vi operantis. Cujus signum manifestum est, quod si tale opus peccati venialis, fiat ex fine ultimo pravo, seu ex fine creato hoc ipso desinet esse peccatum veniale, et fiet mortale ; quia ex subordinatione ad fi-

nem pravum fit : ergo oportet quod tale opus ita fiat ex intentione non avertendi se a Deo fine ultimo, quod nec ex parte operis, nec ex parte operantis, ordinetur ad finem ultimum, creatum. Relinquitur ergo, quod maneat negative sine alio fine ultimo, non tamen positive tendat in finem ultimum creatum, vel increatum, neque ex natura sua, neque ex intentione operantis.

XLIX. Sed tunc restat difficultas, quomodo possit aliquid ferri in aliquod medium, sive in finem proximum, excludendo influentiam finis ultimi in illum; si quidem dependentia finis proximi ab ultimo, est sicut dependentia causæ secundæ a prima. Quomodo etiam peccatum veniale dici potest dispositio ad mortale, si ad finem ejus non ordinatur. Ac denique currunt hic omnes rationes, quibus D. Thomas probavit in articulo sexto in omni actione debere dari finem ultimum. Sed ad hæc commodius dicemus respondendo ad rationes dubitandi a principio.

L. Tertia denique propositio D. Thomæ supra posita deducitur ex ipso in secundo, dist. XLII, quæst. I, articulo IV, in fine corporis, ubi inquit : « Quod ex parte peccantis est imperfectio peccati, propter imperfectionem potentiæ elicentis actum; sicut primi motus sensualitatis, qui deliberationem præcedunt peccata venialia sunt, quamvis in materia sint mortalis peccati; sed hæc sunt venialia per accidens, et ideo adveniente consensu rationis deliberatæ, efficiuntur mortalia. » Sed sic est, quod materia mortalis peccati est circa finem ultimum; ergo si id quod est veniale per accidens, et non ex objecto, seu genere suo, est in materia peccati mortalis, tale veniale versatur erga ultimum finem materialiter, licet non ex modo operandi. Item illud pec-

catum veniale per hoc solum quod superveniat consensus deliberatæ rationis, efficitur mortale; sed consensus ille non mutat materiam, seu objectum, sed supponit; ergo neque mutat rationem finis ultimi, sed supponit, si quidem ratio finis ultimi, ex parte objecti voliti se tenet, solum autem mutat modum operandi ex deliberatione: ergo ante deliberationem jam versabatur erga finem ultimum materialiter, seu ex parte materiæ, licet non ex parte modi operandi, seu humano modo.

LI. Restat solvere difficultates ab initio propositas. Et in primis in peccato veniali ex defectu deliberationis procedente, in materia alias gravi, non currunt difficultates propositæ, quia ille actus non est plene deliberatus et humanus, et sic non oportet ei assignare finem ultimum, humano et deliberato modo. Modo autem non humano, nec deliberato, sufficienter eis assignatur finis ultimus ex parte materiæ, circa quam versantur: quia circa materiam peccati mortalis, quæ utique est finis ultimus, versantur, et ita creaturam habent pro fine ultimo imperfecte et indeliberato modo.

LII. Loquendo autem de peccatis venialibus ex deliberatione, in quibus tantum procedit difficultas, dicimus quod non habent finem ultimum positive in illa influentem, sed solum negative, aut permissive: quia nec ipsa peccata venialia referuntur in ultimum finem simpliciter, nisi quatenus illum non tollunt, sed servant; qui enim ex deliberatione vult peccare venialiter, ita se gerit, quod vult illum actum facere sine gravi offensa Dei, et non advertendo se ab ipso; et sic quantum est de se non tollit finem ultimum, sed servat illum, licet non ordinetur positive sub illo, neque causetur ab illo. Per accidens autem in eo, qui est in peccato mortali, et peccat ve-

nialiter, non servatur habitualis ordo ad finem ultimum ratione subiecti sic dispositi, non ratione operis; quia opus illud veniale, etiam ibi in peccatore non offendit Deum graviter, nec avertit ab illo, et sub hac consideratione fit a peccatore; si enim ipse vellet tali actu se opponere Deo, et finem ultimum in creatura constituere, jam non esset peccatum veniale, sed mortale.

LIII. Quare dicimus, quod finis ultimus simpliciter, scilicet ex parte operis, et operantis, se tenet, aliter requiritur ad influendum in ea, quæ sibi subordinata sunt, et ad se referibilia; aliter respectu eorum, quæ ad se referibilia non sunt, nec sibi subordinantur, licet alterum finem ultimum, sibi oppositum non constituant, nec ad ipsum referantur. Nam respectu eorum, quæ subordinantur sibi, et ad se referuntur, positive influit, quatenus ad se refert, et sua appetibilitate præbet motivum ut appetantur. Respectu vero eorum, quæ ad se non referuntur, nec sibi subordinantur, nec tamen se destruunt, nec alium finem ultimum constituunt, non influit positive, sed negative, seu permissive, quatenus peccatum veniale non destruit, sed servat illum finem ultimum in habitu, quantum est ex se; et unum ex motivis moventibus ad deliberationem peccati venialis est; quod in illo non offenditur graviter Deus; et si est in gratia, quod non perdit eam, sed servat illam, et talis influentia est negativa, seu permissiva ex parte ipsius Dei; et sic non tollere habitum gratiæ, nec opponi Deo, ut fini ultimo, est sufficiens, ut dicatur peccatum veniale ita tendere in finem proximum, et immediatum, quod præsupponat finem ultimum ex parte operantis non influentem in se positive, sed negative, quatenus non tollit illum habitualiter, et per aversionem totalem.

Et ita D. Thomas nunquam fuit sollicitus assignare peccato veniali actualem, vel virtuales ordinem ad finem ultimum, sed solum habituales ad Deum, quia solum fuit sollicitus ostendere, quod peccatum veniale potius non tollit ultimum finem, quam quod ponit. Et non tollit ultimum finem, quia non destruit habitum ordinantem nos in illum finem, et sic non simpliciter avertit ab illo, ut patet in locis supra allegatis, præsertim infra quæstion. LXXXVIII, articulo I ad tertium, et quartum, et in II, dist. XLII, quæstion. I, articulo III ad quartum, et quæstion. VII de malo, articulo I ad tertium, et quartum.

LIV. Et quando instatur, quod rationes D. Thomæ in hac quæstione, articulo VI, probant in omni actione, in qua datur finis proximus, dari etiam finem ultimum, qui finaliter moveat tamquam bonum perfectum, et cujus gratia effectus fiat, et qui comparetur ad finem proximum, sicut causa prima ad secundam, cujus influxu inferior causa operatur, respondetur rationes istas probare, quod oportet in omni fine proximo, seu in actu tendente in illum præsupponi aliquem finem ultimum, sed non eodem modo, quia in referibili, et ordinabili per se influit positive communicando ei motivum bonitatis; in veniali autem non referibili, neque ordinabili, per se non influit positive, et communicando motivum appetibilitatis, sed negative, non tollendo, nec avertendo per se a tali fine, seu totaliter etiam ex parte habitus, hoc enim etiam est pertinere ad talem finem, si non per influxum, saltem per permissionem, quatenus permittit, seu non tollit talem finem. Hoc autem est peculiare in fine, quia cum operetur in quantum bonum, etiam ipsæ negationes, et carentiæ mali, et ipsum non destruere finem habitualiter, aliquo modo ad bonum perti-

nent, et sic non tollere totaliter finem, aliquale bonum est. Et sic licet Deus in se, et secundum suam bonitatem non sit finis ultimus peccati venialis, tamen Deus, ut finis non ablati, sed habitualiter manens, est finis ultimus peccati venialis, non ut influens positive, sed ut non ablati per tale peccatum.

LV. Et sic concedit D. Thomas quod peccatum veniale refertur in Deum, ut in finem habitualiter, quia non tollit ab eo rationem finis: ut in illis verbis patet infra quæstion. LXXXVIII, articulo primo ad primum: «Quod qui peccat venialiter inhæret bono temporali non ut fruens, sed ut utens, referens in Deum, non actu, sed habitu.» Idemque repetit quæst. VII, de malo, articulo primo ad quartum: et in I, dist. I, quæst. III, articulo unico ad quartum, concedit, quod qui peccat venialiter habet Deum pro fine habitualiter, nec ponit creaturam finem ultimum, cum diligat creaturam citra Deum. Ergo in hoc modo habendi Deum pro fine habitualiter, dilectio creaturæ aliquem respectum habet ad Deum, non influentiæ positivæ, sed negativæ, quatenus citra Deum diligit, id est, ita diligit creaturam, quod non vult perdere Deum. Quam negativam referibilitatem tandem expressit D. Thomas in II, dist. XLII, quæst. I, articulo III ad quintum, illis verbis: «In actu tantum aliquis avertitur, quando aliquis actum aliquem facit, quo in Deum non tendit, ex eo quod inordinate ei quod est ad finem inhæret; non tamen ita quod illud, quod est ad finem pro fine constituat, et hoc est in peccato veniali.» Pondera illud non tamen ita, etc. et videbis ibi referibilitatem negativam, videlicet, ferri in finem proximum creatum cum conditione non ponendi ex vi illius actus, finem in creatura, sed servando finem Dei habitualiter. Et ita tandem sentit, et explicat Ægi-

dus ubi supra lib. II, quæst. V, art. IV, in fine.

LVI. Ad id vero quod dicitur, quod habitualis ista relatio in finem non est aliud, quam concomitantia, et conservatio habitus charitatis, non influentia et causalitas finis, respondetur non esse aliud quam concomitantiam charitatis, si consideretur charitas quantum ad tendentiam ipsius in finem positive, et elicitive, tali enim positiva influentia non influit charitas in peccatum veniale, nec finalizat ipsum; sed solum informat subjectum, et ponit in ipso ordinationem habitualement ad Deum per modum informationis. Si autem consideretur charitas, et habitualis ordinatio in Deum, secundum negativam referibilitatem, quatenus scilicet peccans venialiter, vult objectum illud cum conditione non offendendi graviter Deum, nec tollendi habitum gratiæ, si in subjecto sit; sic habitus charitatis, seu habitualis ordinatio ut non ablata, et ratio finis ultimi in Deo, ut non ablati ex vi illius actus, influit in peccatum veniale, quia est una ex conditionibus movens ad consentiendum illi peccato, quod non sit graviter offensivum Dei, nec tollat gratiam: et sic finis ultimus, ut non ablati in suo habitu, dicitur influere, estque influentia moralis, seu referibilitas negativa, non positiva. Et hoc est referre in Deum habitu, non actu, scilicet non solum, quod concomitetur ipse habitus charitatis, informatque subjectum; sed etiam quod concomitantia, seu conservatio charitatis, et habitualis ordinationis sit volita, dum quis vult actu tendere ad finem proximum seu ad finem operis, et conservare, seu non tollere ordinationem habitualement in finem ultimum ex parti subjecti operantis. Non tamen refert ex vi illius actum ipsum opus, aut ope-

rantem in finem ultimum creatum.

LVII. Et ad instantiam, quod ista habitualis ordinatio charitatis solum habet locum in eo, qui est in charitate, et peccat venialiter; non in eo, qui est in peccato mortali, respondetur quod licet in eo, qui est in peccato mortali, peccatum veniale non conservet ordinationem habitualement in subjecto per accidens, ex eo quod in subjecto non est; per se tamen ex vi actus, in illo peccato vult Deum non offendere graviter, nec tollere ab illo rationem finis ultimi, et sic de se ille actus est conservativus in actu primo, seu non ablativus gratiæ, licet de facto per accidens non conservet in exercitio, quia non datur in subjecto.

LVIII. Ad ultimam replicam con-

tra secundam solutionem dicitur, quod finis operis in peccato est finis particularis, et proximus; subordinatur autem a fine ultimo, et universalis, non secundum subordinationem, et referibilitatem, atque influentiam positivam, sed secundum negativam, prout servat habitualement ordinationem in finem ultimum. Quando autem supponitur ipse operans habitualiter in finem ordinatus, non est necesse, quod in ipsum opus influat positive, sed sufficit, quod negative opus illud procedat, id est, non tollendo finem ultimum a subjecto, idque intendendo, seu volendo quasi unam ex conditionibus, quibus movetur quis ad acceptandum illud peccatum veniale, quia Deum non offendit graviter, et sic aliquo modo tangit illum finem ultimum.